

ELOGIA ET JUDICIA
DE
VELLEIO.



T dicendi genus, quo nihil purius ac suavius fluere potest, omittam; antiquitates Romanorum ab ultimo principio tanta brevitate ac perspicuitate (siquidem integer exstaret) Velleius comprehendit, ut nemini secundus esse videatur. Laudes etiam illustrium virorum egregia quadam oratione, & magno viro digna commendare solet, ut videre est in laudibus Pompeji, Caesaris, Ciceronis. *Joh. Bodin. Method. Hist. cap. iv.*

Cajus Velleius Paterculus Tiberii Caesaris etiam temporibus vixit. E fragmento duorum librorum cognoscimus, eum Epitomen Historiarum Romanarum scripsisse. Pleraque, immo omnia placent, quod res ipsae dignae sint, neque à melioribus conscribantur. Tenuis alioqui verbis, neque satis accuratus. Adulationis, supra quam credi potest, vitio laboravit; praesertim cum Augusti & Tiberii Caesaris gesta narravit. *Sigon. de Hist. Rom. cap. viii.*

Est & Velleius Paterculus, qui sub Tiberio floruit, insignis & eloquens, cujus libellus & Epiphonemata habet praeclara & ingeniose prolata. Sed & hic consules non semper enumerat, nec annos distinguit: certus igitur dux hic nobis esse non potest Historiam discendi. *Francisc. Robortel. in Epist. ad Joan. Bapt. Campeg.*

ELOGIA ET JUDICIA

Velleius Paterculus mira compendii felicitate res Romanas adstrinxit. *Junius in Animadv. lib. vi. cap. 25.*

Risi nuper Rhenanum, qui cum Velleium Paterculum (sive ut aliis jam placet, *Vellium*) laudandum suscepisset, aut parem eum Caesari, aut certe proximo loco ponendum adfirmat. Non pareo vero huic designatori, & nae ille Velleius in historicorum ordine tantum abest à secundo, quantum Caesar à primo. Melius Quintilianus, qui in historiae Ro. catalogo hunc ne nominat quidem, alias antiquum, & qui Livium & Sallustium videre potuerit. Sed volumen illud historiae majoris, quod pollicetur, fortassè non scripsit: & compendium istud plenum adulationum, digressionum, doceat Beatus me, cur tantam laudem mereatur. *Lipsius lib. III. Epist. Quest. 8.*

Ex antiquis bilem mihi movet Velleius. AELIUM Sejanum omnibus virtutibus accumulat, & quasi in Theatro plena manu delaudat. Os historici! at nos eum scimus natum & extinctum exitio generis humani. Liviam Augustam, post multas laudes, Diis quam hominibus similiorem feminam concludit. Jam de Tiberio, flagitium sit, si usquam aliter, quam ut de Jove immortalis loquatur. Haec liber & ingenuus animus quâ ferat? contra ut Germanici Caesaris virtutes ubique callide dissimulat? ut Agrippinam, & quibus aliis infensior Tiberius credebatur, oblique premit? Quid multa? non aliquid quam mancipium aulae agit. Dices intuta illis temporibus veritas fuit. Fateor, sed vera scribere si non licuit, falsa non debuit. Nemo silentii causam reddit. *Lipsius lib. v. Epistol. Lett. cap. II.*

Vcl-

DE VELLEIO.

Velleianum compendium laudabile fuit, sed potior pars perit; iudicio & ordine tamen scriptum, & quod exemplar pleniori chronologiae sit ad imitandum. *Lips. III. Centur. Epist. Miscell. 61.*

Velleius Paterculus Romani quidem oris scriptor, sed militaris tamen, & minime oratoris. *Barthius ad Stat. II. Achill. 146.*

Apud Velleium tot loca controversa sunt, ut pene nihil certi pareat. Unde votis non segnibus MS. alicujus copia exoptanda, quae auctoritate bonâ laboranti subveniret. Scriptor dignus omni bona fortuna, licet castitatem stili affectatiunculis castrensibus frangere videatur. Sitque mixtura quaedam Valerii Maximi, cum purissimis ejus aevi aliis Scriptoribus, à quibus, licet multo pudentius, secedit tamen. *Barth. lib. xvi. Advers. cap. 7.*

Velleius Paterculus tantum praeconem Romani nominis agit, ut eo solo fine scripsisse videri possit. *Barth. lib. LX. Adv. cap. 6.*

Velleius Paterculus princeps adulatorum Romani nominis, nec Valerio Maximo posterior. *Barth. ad Claudian. IV. Cons. Honor. vs. 48.*

Velleius Paterculus, jam dudum reus factus est foedissimae adulationis & neglectae, quae Historiae pes & caput est, veritatis. *Bernegger. ad Tacit. Germ. Quaest. CLXXXIV.*

Cajus Velleius Paterculus vir nobilis, qui que sicuti & ejus frater, primo anno imperii Tiberii fuit destinatus Praetor, cum & alia munera in republica obierit, jacebat fere sepultus usque ad Patrum nostrorum memoriam, cum ex Marbuccensi bibliotheca est in lucem editus: quem demum Justus Lipsius animadversionibus illustravit. Marullus autem est Libellus hic, sed in quo distincta antiquae Latinitatis lumina cernantur, ac stylus presul,

ELOGIA ET JUDICIA DE VELLEIO.

fus, fluens, idemque dilucidus, quamvis non desit, cui videatur esse tenuis alioqui verbis, & ordine non satis accurato. Vitio certe adulationis laborans, dum Augusti & Tiberii Caesaris gesta commemorat. *Possevin. Biblioth. Selecta lib. xvi. de Historicis cap. 14.*

Velleius Paterculus, Scriptor brevis quidem, at eruditus, egregiique judicii, & si adulationem erga Tiberium exceperis, gravis & verax. *Nardinus in Roma Veter. lib. 1. cap. 1.*

Illustris Scriptor Velleius. *Broukbus. ad Tibul. 1.*

III. I.

Velleius Paterculus omnium Tiberiani regni Scriptorum longe nitidissimus. *Broukb. ad Tibul. III. v, 22.*